

Burchard von Chemnitz, Probst zu St. Thomas in Leipzig, Richter und Subkonservator der Rechte der Universität, läßt den Conrad Dune^a) nach Leipzig vor Gericht citiren. Leipzig, 1446 März 19.

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 304^a.

Burchardus Kempnitz prepositus canonicorum regularium monasterii sancti 5
 Thome apostoli in Lipczk ordinis beati Augustini Merßburgensis diocesis, iudex et sub-
 conservator cause et causarum parcium infrascriptarum, a reverendo in Christo patre ac
 domino, domino Iohanni episcopo Merßburgensi, iudice et conservatore principali iurium,
 privilegiorum, libertatum, bonorum et rerum venerabilium virorum dominorum magi-
 strorum, doctorum et scolarium alme universitatis Lipczensis antedictae diocesis Merß- 10
 burgensis, una cum certis suis in hac parte collegis cum illa „Quatenus vos vel duo aut
 unus vestrum per vos vel alium seu alios ꝛc.“, a sede apostolica specialiter deputatus sub-
 delegatus, honorabilibus viris et dominis divinorum rectoribus in Magdeburg, Saltza,
 Kalbe, Brandenburg, Halle et plebanis apud sanctos Thomam et Nicolaum in Lipczk
 ceterisque presentibus requisitis salutem et sinceram in domino caritatem ac mandatis 15
 nostris ymmo verius apostolicis firmiter obedire et presentis fidem indubiam adhibere.
 Litteris vidimus vulgariter nuncupatis nec non aliis constitutionibus et consuetudinibus
 sinodalibus quibuscunque non obstantibus nobis, dominis omnibus et singulis prescriptis
 presentibus requisitis in virtute sancte obediencie et sub excommunicationis pena, quam
 in vos et quemlibet vestrum ferimus si presentibus non parueritis cum effectu, dei nomine 20
 in hiis scriptis, trium tamen dierum canonica monicione premissa, districte precipiendo
 mandamus, quatenus accedatis ubi propterea fuerit accedendum, alioquin de ambone
 ecclesiarum vestrarum publice alta et intelligibili voce ne ignoranciam pretendere valeat
 aut quomodolibet allegare et auctoritate nostra ymmo verius apostolica ad nostram
 peremptorie citetis presenciam Conradum Dunen, quem et nos presentem peremptorie sic 25
 citamus, ut sexta die post insinuacionem presencium coram nobis Lipczk in curia habita-
 tionis nostre legitime compareat contra nos nostramque iurisdictionem, si quid dicere vel
 proponere voluerit, verbo vel in scriptis dicturus et propositurus, et nihilominus querelis
 honorabilis viri magistri Iohannis Meurer, decani facultatis arcium, de iure et iusticia
 finaliter responsuris ac per nos procedi videndum ad omnes et singula actus gradatim et 30
 successive in causa huiusmodi incumbenti resque ad sentenciam diffinitivam inclusive
 cum intimacione, quod sive apparuerit sive non, nos nichilominus in alterius requisicionem
 id quod iusticia suadebit et ordo dictaverit rationis faciemus, ipsius citati ausencia sive
 contumacia in aliquo non obstante. Datum Lipczk in curia habitacionis nostre anno
 domini ꝛc. XLVI, die vero decima nona mensis marcii, nostro sub sigillo presenti sub- 35
 impresso. Diem vero, modum et formam execucionis vestre cum nominum priorum
 vestrorum subscripcione et sigillorum vestrorum subimpressione nobis liquide rescribitis,
 penis sub premissis.

Pe. Sehusen notarius.